



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Disputationes De Deo Homine, Sive De Incarnatione Filii Dei**

**Hurtado de Mendoza, Pedro**

**Antverpiae, 1634**

Sectio VI. A quo anno incipiendæ sint hebdomades?

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82720](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82720)

erum, quia tam breui interuallo vix potuit populus aedificare urbem, munire, florere, & regno uti. Accipiendae igitur sunt septuaginta hebdomades pro annis quadringentis & nonaginta.

§. 23. Hinc facile exsibilantur Iudaeorum somnia quibus caecè aberrant. Nonnulli hebdomades accipiunt nec pro diebus, nec pro annis; sed pro iubilais: ut vna hebdomada contineat 7. iubilais, id est, septies quinquaginta annos: iubilais enim continebat annos 50. septem autem iubilais sunt anni 350. quia continent septem quinquagenas annorum: septuaginta autem hebdomades amplectuntur annos 24500. Errant autem Rabbinis, quia nec illa significatio audita est in Scripturis, nec apud Hebraeos. Item quia vrbs iam est euerfa, templum complanatum, defecit regnum, cessauit hostia & sacrificium: ergo non potuerunt expectari tot annorum miliaria. Confirmatur, quia prophetia Danielis est ferè eadem quae Iacob: qui praedixit venturum Christum deficiente regno à Iuda: defecit autem, nascente Christo Domino: tunc enim erat apud Herodem Idumæum. Deinde omnino extinctum est obeunte Agrippa iunior. Ergo non sunt expectandi anni tam multi: & quidem digna est commiseratione Iudaeorum caecitas, oculos non aperientium dum ipsis cernunt effectus praedictos à Daniele post expletas hebdomadas. Quod si spectant restitutionem regni, vrbis reedificationem, & templi instaurationem; cur postea visis effectibus horum similibus, non somniant alij Rabbinis ad corrigendas hebdomadas ad centenaria annorum: nec enim defuerunt, qui ita somniant: constituunt enim in singulis hebdomadis septingentos annos, centenos pro diebus: septuaginta autem hebdomades 49000. Qui eodem iure sunt irridendi. Alij autem venient, qui accipiunt hebdomades millenarias, ut singulis diebus respondeant anni milleni.

§. 24. Origenes censuit hebdomades esse decadam annorum: ita ut singulis diebus respondeant anni decem; singulis autem hebdomadis anni septuaginti: septuaginta autem hebdomades conficiunt annos 4900. Hæc sententia minus errat; quia supputat annos ab exordio mundi ad excidium Ierusalem, quod incidit in annum 4900. ex Origene: in dimidio autem hebdomadæ vltimæ vnctus est Sanctus Sanctorum in baptismo, & mortuus anno 33. cum dimidio. Itaque Origenesiam constituit hebdomadas completas, & impletam prophetiam Danielis. Impugnatur autem Primùm eadem ratione, quæ Rabbinis; quia insuetum est apud Hebraeos accipere hebdomades pro decadiibus annorum: nec enim extrahenda sunt verba à sensu litterali & consueto. Secundò, quia Gabriel voluit hebdomades supputari à die quo exiit sermo de instauratione Ierusalem: hic autem sermo exiit post verba Gabrielis, & non à mundi natalitio: tunc enim quis promulgauit edictum de Ierusalem instauratione? Tertio, quia chronologia Origenis dissidet ab omnibus alijs, tam Hebraica, quam Ethnica atque Christiana, ut eruditione solita probat P. Pererius in Daniele in 2. parte disput. de septem hebdomadis, versu *Quarta opinio.* Quem sequuntur plerique diligentissimi chronologiae supputatores, vide item Bellarm. constituentem annos mundi 3984.

§. 25. Eusebius bipartitus est supputationem he-

bdomadaru: in prima parte constituit 69. hebdomadas, quas censet esse annorum; in secunda constituit septuagesimam hebdomadam, quam supputat per decades annorum: ita ut in eius medietate mortuus sit Christus, in fine autem vrbs euerfa. Fundamentum est, quia non potest aliter chronologia componi. Impugnatur Primùm, quia hebdomades decadam sunt Hebraeis inauditæ. Secundò, quia esset sermo valdè ambiguus accipere hebdomades ferè omnes per annos, vltimam autem per decades annorum: sic enim Rabbinis somniant, accipiendam esse vltimam per iubilais, vel per centenos annos, vel per millenos. Standum est ergo phrasî consuetæ, & texenda chronologia studio diligenti.

*S. Thom. q. 1. art. 2.*

## SECTIO VI.

### *A quo anno incipiendæ sint hebdomadæ?*

§. 26. Certum videtur, hebdomadas incipiendas esse post euerfam Ierusalem à Babilonio, & Iudæos captos, & Babilone detentos. Quia Daniel orationibus vrgebat populi libertatem, vrbis & templi instaurationem; credibile autem est ab eodem etiam apud Deum vrgeri aduentum Christi Domini, qui libertatem populi à peccatis assereret: Gabriel autem illi omnia praedixit, libertatem populi, vrbis & templi reedificationem, aduentum Christi, & mortem peccati. Videamus ergo post captiuitatem, quo anno exierint edicta regia de instauratione Ierusalem, quia ab aliquo ex illis hebdomadæ sunt ordiendæ.

§. 27. Primùm, Cyrus Persa anno 1. quo simul cum Dario regnare cepit, Babilone promulgauit edictum de soluenda captiuitate Iudaica, de reedificanda vrbe & templo. constant hæc Esdræ 1. 1. his verbis: *In anno primo Cyri regis Persarum, ut completeretur verbum Domini ex ore Ieremie, suscitauit Dominus spiritum Cyri regis Persarum: & traduxit vocem in omni regno suo etiam per scripturam, dicens, &c.* Difficultas, vtrum hoc edictum sit praedictum à Daniele? quia edictum non fuit de reedificanda vrbe, sed templo, ut constat ex eodem cap. 1. v. 2. *Et ipse praecepit mihi, ut aedificarem ei domum in Ierusalem, quæ est in Iudæa. Item: Ascendat in Ierusalem, quæ est in Iudæa, & aedificet domum Domini Dei.* De aedificanda igitur vrbe non fuit edictum: constat quæ ex c. 3. operam nauatam aedificando templo, non vrbi.

§. 28. Hæc autem obiectio non videtur magni momenti. Primùm, quia rex non voluit extrui templum solum, sed cum vrbe comoda sacerdotibus templique ministris, qui erant permulti. quod praedixit Isaias cap. 44. *Qui dico Cyro, Pastor meus es, & omnem voluntatem meam complebis. Qui dico Ierusalem, Aedificaberis: & templo meo, Plantaberis.* & c. 45. *Ego suscitavi eum ad iustitiam, & omnes vias eius dirigam: ipse aedificabit civitatem meam, & captiuitatem meam dimittet.* Hæc ergo, quæ praedicta fuerunt ab Isaiâ, completa sunt primo Cyri anno: quæ non sunt accipiendæ de incompto vrbis aedificio, cum aliquibus parietibus ad propulsandas temporis, bestiarum & latronum iniurias; sed de aedificio perfecto. Ut igitur Isaias dixit templo, *Plantaberis;* dixit Hierosolymis, *aedificaberis.* quo verbo vsus est Daniel c. 9. 25. *Ut iterum aedificetur Ierusalem.* Hæc autem iterata aedificatio supponit primam à primo Hierosolymarum fundatore. Et quid constat 1. Esdræ 4. 12. hostes Iudaeorum scripsisse regi

S. Thom.  
2. 2. art. 1.

*Venerunt in Ierusalem ciuitatem rebellem & pessimam, quam aedificant extruentes muros eius, & parietes componentes. Item v. 22. prohibetur prouectio aedificiorum, quae postea est permilla à Dario.*

§. 29. Multi graues auctores censent ab hoc anno supputandas hebdomades: S. Clemens Alex. 1. Strom. Tertull. contra Iudæos c. 8. Eusebius lib. 8. Demonstrat. cap. 2. Genebrard. 2. Chronol. initio, P. Maldonatus in c. 2. Ioan. n. 20. P. Ioan. Mariana in Daniele, & alij graues auctores. Hoc edictum impetrauerat Daniel à Dario, qui re ipsa & potestate erat rex, admisitque in regni societatem Cyrum auunculum, qui multis annis regnauerat in Persia. At ille erat annus primus, quo simul cum Dario Babylone regnauit.

§. 30. Si chronologia consentiret, cætera facile componerentur, at verò plures alij interijciuntur inter illum primum Cyri & mortem Christi: quia annus ille Cyri fuit primus olympiadis 1. v. teste Eusebio in Chronico, & lib. 1. de Preparat. cap. vlt. quod eruditè probat ex chronographia & historijs Ethnicorum: qua de re disputat latè P. Pererius lib. 11. in Daniel. q. 2. à quo anno ad annum mortis Christi Domini interijciuntur anni fermè 600. hebdomades autem septuaginta non consistunt nisi annos 490. Ob quod eam sententiam deserunt P. Pererius iam adductus, P. Gordonus periodo 7. P. Salius tom. 4. anno vlt. & Cardin. Bellarm. in Chronologia: qui cum tam grauius & eruditè, & cum incredibili diligentia rem tractauerint, non est cur huic sententiæ inhæreamus. Quamuis enim P. Mariana promittat se emendaturum Græcos errores de temporum supputatione, nescio tamen an id facile assequatur.

§. 31. Ergo edictum illud Cyri non est prædictum à Daniele: sed aliud expectatur egressurum post primum illum annum. Probo, tum quia de aedificanda vrbe Cyrus non fecit verbum, nec toto libro Esdræ dicitur aedificari nisi templum: hostes autem Iudæorum mentiti sunt arrepta occasione ex structura murorum templi, & fortè ex aliqua parte murorum vrbis inceptorum à Iudæis. Vrbs autem aedificata est accepta vrbe pro hominum congregatione, & domorum aedificio aliquo ad degendum: non verò de aedificio murorum, & munita structura vrbis.

§. 32. Secundum edictum est Darij Hystaspis, siue Darij secundi, cuius meminit Esdras lib. 1. c. 5. Verum illud edictum non fuit nisi de instaurando templo: de munienda autem muris vrbe non est verbum. Item ab illo 2. anno Darij ad obitum Christi interijciuntur plures quam septuaginta hebdomades: interijciuntur enim septuaginta nouè.

§. 33. Tertium edictum est ab Artaxerxe Longimano anno 7. sui regni, cuius mentio est in lib. 1. Esdræ cap. 7. à quo anno supputant hebdomadas multi Doctores celeberrimi. Quibus illud maximè fauet, quod ab eo anno 7. Artaxerxis ad obitum Christi Domini interijciuntur septuaginta hebdomadæ amplexæ annos cõmunes mundo, id est solares, 490. Ita vt sine vi, sine intercalatione, aut embolismo numerentur anni à Daniele prædicti. Quod ingenuè fatentur etiam auctores, qui ab ea sententia discedunt: cuius meminit cum honore P. Salius tom. 5. anno 3596. à num. 37. P. Pererius, & alij: quam adscribunt grauissimis Ecclesiæ Patribus, quamque secutus est P. Gaspar Sanchez

in c. 9. Danielis n. 104. à quibus eam arripuerunt alij recentiores, tacito quidem furto, & falso sibi arrogatâ sententiâ: quorum fundamentum est teres & minimè coacta annorum supputatio. Cum enim hæc firma esse debeat & fixa, cætera sunt ad illam componenda. Ab ea tamen sententia discedo tum propter fundamenta P. Pererij sapius adducti, & P. Salius tom. 5. anno 3609. n. 5. & 6. tum etiam quia hoc tertium edictum nõ fuit de locandis mœnibus vrbis, & ea munienda: sed tantum de templo. Prophetia Danielis non fuit de templo reaedificando: sed de vrbe, vt iterum aedificetur Ierusalem. Itaque hæc tria edicta per se primò fuere de templo: de vrbe autem consequenter, vt erat necessarium ad commodam ministrorum habitationem: quod reges fecere timore Dei; muros autem non permisere timore Iudæorum. Et quidem cum priora duo edicta fuerint omnino similia huic tertio, aut à primo exordiendæ sunt hebdomadæ, aut à nullo ex tribus. Quod si annorum supputatio congruit tertio, cum ea dissideat à primo & secundo, omnia tria redduntur suspecta.

§. 34. Quartum edictum est eiusdem Artaxerxis Longimani lib. 2. Esdræ c. 2. vbi Nehemias describitur petens à rege atque regina facultatem ad aedificandam vrbe v. 8. his verbis: *Vt tegere possim portas turris domus, & muros ciuitatis.* totoque hoc capite describitur edictum regium, & Iudæorum diligentia in extruendis muris. Ab hoc edicto supputant annos P. Pererius lib. 12. in Daniele ad finem, P. Salius tom. 5. anno 3609. à n. 1. P. Gordonus c. 15. ad periodum septimam n. 17. P. Alphonsus Salmeron, P. Suarez, & alij tam antiqui quam recentes apud ipsos. Ratio est clara, quia hoc quartum edictum fuit per se primò de vrbe reaedificanda: fuit enim de muris, turribus & portis, item de portis templi: denique de tota vrbe non solum reaedificanda, sed etiam munienda. cum igitur hoc edictum sit signum notissimum, quod non quadrat in alia edicta; hinc supputandæ sunt hebdomadæ.

§. 35. Superest autem difficultas, quia annus ille vigesimus Artaxerxis non potest esse initium, quia ab illo ad mortem Christi non capiuntur nisi anni 478. ad summum, desiderantur autem anni duodecim. Respondeo annos illos 478. valere pro 490. lunaribus qui familiares erant Hebræis, qui per intercalationes eos æquabant solaribus. P. Pererius existimat solares fuisse 475. Christum autem esse mortuum tribus annis post hebdomades expletas. Magis tamen acquiesco P. Salius supputanti 478. solares æquivalentes 490. lunaribus. Hos annos lunares non esse absurdos, indicat ipse tom. 5. anno 3609. n. 9. latius autem to. 3. anno 2544. Herodes Agrippa obiit multis annis post, Aristobulus autè multis antè: ergo in neutrum quadrat hæc prophætia. In hunc scopum plura dixi vol. 2. disp. 21. à §. 69. ad 75. & §. 154. & 155. De prophætia autè Patriarchæ Iacob eodè vol. 2. disp. 21. à §. 157. ad 170.

§. 36. Igitur Christus est mortuus anno mundi 4086. Hebdomades autè cœptæ sunt anno mundi 3609. inter quos interijciuntur anni 478. Quod comperies apud P. Salius tom. 5. anno mundi 3609. & tom. 6. anno mundi 4086. Hi autem anni sunt solares, mundoque communes, & valent pro 490. lunaribus comunibus apud Hebræos. lege PP. Pererium & Gordonum sapius adductos: in singulis reperies supputationes varias.